AUTHOR:

KLOTZ, REINHOLDUS

TITLE:

EMENDATIONUM PLAUTINARUM...

PLACE:

LIPSIAE

DATE:

Master Negative #

92-80599-15

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

```
BKS/PROD  Books       FUL/BIB   NYCG92-B31852          Acquisitions     NYCG-PT
Record 1 of 0 - Record added today
+
  ID:NYCG92-B31852              RTYP:a    ST:p   FRN:   MS:   EL:      AD:05-06-92
  CC:9668   BLT:am      DCF:?   CSC:?   MOD:     SNR:      ATC:       UD:05-06-92
  CP:gw       L:lat     INT:?   GPC:?   BIO:?    FIC:?     CON:???
  PC:n      PD:     /           REP:?   CPI:?    FSI:?     ILC:????   II:?
  MMD:       OR:    POL:     DM:      RR:        COL:      EML:       GEN:   BSE:
  040       NNC=‡cNNC
  100 1     Klotz, Reinholdus.
  245 10    Emendationum Plautinarum libellus=‡h[microform]...
  260       Lipsiae,=‡bProstat apud A. Edelmannum.
  300       19 p.
  LDG       ORIG
  QD        05-06-92
```

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 6-9-92 INITIALS mDC
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

Inches

EMENDATIONUM PLAUTINARUM LIBELLUS

QUEM AD RENUNTIATIONEM

PHILOS. DOCTORUM ET AA. LL. MAGISTRORUM

RECTORIBUS MAGNIFICIS

CAROLO FRIDERICO DE GERBER

REGI SAXONIAE IN CURA IUSTITIAE A CONSILIO SANCTIORE UTRIUSQUE IURIS DOCTORE ET PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO ORD. REG. SAX. PRO MERITIS AC FIDE EQUITE IN ORDINE REGIO EQUITUM CORONAE WUERTTEMBERGICAE PRAEFECTO ORDINIS LEOPOLDINI CAESAREI AUSTRIACI ITEMQUE ORDINIS AQUILAE RUBRAE REGII BORUSSICI TERTIAE CLASSIS EQUITE CET.

ET

GUILIELMO THEOPHILO HANKEL

PHILOSOPHIAE DOCTORE PHYSICES PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO DOCTORE MEDICINAE UNIUERSITATIS LITT. LIPSIENSIS HONORARIO ORD. REG. SAX. PRO MERITIS AC FIDE EQUITE CET.

DECANIS

EODEM GUILIELMO THEOPHILO HANKEL

ET

REINHOLDO KLOTZ

PHILOLOGIAE CLASSICAE PROFESSORE PUBL. ORDIN. ORD. REG. SAX. PRO MERITIS AC FIDE EQUITE CET.

PROCANCELLARIO

GEORGIO CURTIO

PHILOLOGIAE CLASSICAE PROFESSORE PUBL. ORDIN. ORD. REG. SAX. PRO MERITIS AC FIDE EQUITE CET.

INDE A PRIMO DIE MENSIS MAII A. MDCCCLXUII. USQUE AD DIEM TRICESIMUM MENSIS APRILIS A. MDCCCXUIII.

CREATORUM INDICENDAM

EDIDIT

REINHOLDUS KLOTZ

PANEGYRISTA UNIUERSITATIS LITT. LIPSIENSIS.

LIPSIAE

PROSTAT APUD A. EDELMANNUM

BIBLIOPOLAM UNIUERSITATIS.

Quod ego anno huius saeculi LII. in Supplementis annal. philol. et paedag. nou. uol. XUIII. p. 479. scripsi, coniecturas, quae in emendandis ueterum scriptorum locis fierent, eo ueri similiores iure iudicari solere, quo plures homines docti per se, inprudentes atque inscientes quid ante se de illis locis propositum esset, in easdem coniecturas incidissent, quae iam ab aliis factae atque prolatae essent, locis quibusdam Tullianis in illa causa pro testimoniis usus, idem nuper etiam in quibusdam T. Maccii Plauti locis, difficilioribus illis quidem, uerum tamen eius modi, ut certa ratione emendari posse uiderentur, conperisse mihi uideor, neque id aegre fero, homines doctos in easdem, quas ego superiore tempore proposueram, coniecturas postea ignaros mearum rationum incidisse, sed gaudeo potius, quod in his quoque locis illud ipsum, quod a pluribus criticis eodem modo iudicatum est, maiorem probabilitatis speciem prae se ferre uideatur. Et ex tribus illis M. Tullii locis, quibus tum eram usus, ut sententiam meam confirmarem, duo quidem recte nunc ita constituti sunt, ut de ueritate scripturae, quam ego tum praeceperam, iam nullo modo dubitetur. Nam in oratione, quae est *de prouinciis consularibus*, c. UIII. §. 19. iam uno consensu ab omnibus criticis de I. N. Maduigii coniectura, in quam ego quoque incideram, repositum est: *L. Crassus, M. Scaurus alieni: inimici omnes Metelli.*, in altero autem loco, qui legitur in *Disputationum Tusculanarum* lib. I. c. 42. §. 101, postquam critici maiorum et minorum gentium, qui ubique sunt, aliquamdiu satis inconsiderate in alia omnia abierunt neque quid res et ratio loci postularet intellexerunt, tandem iam etiam

a M. Seyfferto id repositum est, quod ego iam pridem solum uerum esse contenderam: *Prandete animo forti, Lacedaemonii: hodie apud inferos fortasse cenabimus.* Vide quae disputaui in *Supplementis annal. philol. et paedag. nou.* uol. XUIII. p. 480. et adde eo quae Aristides Milesius habet in Mülleri *Fragmentis historicorum Graecorum* uol. IIII. p. 324. 'οὕτως ἀριστᾶτε ὡς ἐν Ἅιδου δειπνήσοντες.' Unus reliquus est locus, qui est in *Disputationum Tusculanarum* lib. II. c. 16. §. 37., quo quidem in loco quum uerba in libris manu scriptis in hunc modum corrupta haberentur: *Spartiatarum, quorum procedit admodum ad tibiam nec adhibetur ulla sine anapaestis pedibus hortatio.*, recte uidit Lambinus conmutatis conpendiis *admodum* pro *agmen* irrepsisse scribendumque esse: *quorum procedit agmen ad tibiam* etc. in eandemque coniecturam et ego incideram, quum nescirem ita iam a Lambino esse emendatum hunc locum, et post me M. Hauptius, qui de me et Lambino ignorabat: qua trium hominum mirifica consensione confecta res esse uidetur, praesertim quum summam probabilitatis rationem haec coniectura per se ipsa habeat. Ac mirarer profecto M. Seyffertum nuper non id recepisse, quod nobis tribus reponendum esse uisum erat, sed de coniectura sua minume probabili scripsisse: *quorum procedit iter ad modum ac tibiam* etc., nisi in eius hominis rationibus criticis alia quoque multa reprehendenda esse uiderentur. De Plautinis autem locis, quos modo in mente habebam, haec habeo dicere.

In Plauti *Milite glorioso* act. II. sc. 3. u. 34 (305) sq. nunc fere ab omnibus criticis uerba ita constituta auctore Camerario leguntur:

Núnc si indicium fácio, interii: sí taceo, intérii tamen,
Si hóc palam fuerít.

Uerum tamen quum in libris manu scriptis *interii* posteriore loco scriptum non esset, ego iam anno huius saeculi LI. scribendum esse putaueram atque ita in *Supplementis annal. philol. et paedag nou.* uol. XUII. p. 464. proposueram:

Núnc si indicium fácio, interii: intérii, si taceó, tamen,
Si hóc palam fuerít.

Nunc uideo a M. Hauptio in libro grammatico annali, qui inscribitur *Hermes*, uol. III. p. 148. hoc demum anno id ipsum propositum esse, quod

ego tot annis ante conieceram. Et quum mihi persuasum sit hominem simplicem ac minume fallacem mea ignorasse, hac consensione illa coniectura satis conmendari uidetur, quamquam etiam res ipsa clamat ita emendandum fuisse hunc locum. Nam in eadem fabula et paulo post act. II. sc. 4. u. 15 (368) *oculis* eodem modo, quod bis scribendum erat, semel oblitteratum est, et act. II. sc. 3. u. 55 (326) eadem medicina adhibenda est, ubi quum in libris manu scriptis nihil scriptum sit nisi hoc:

scel. ue capiti tuo. pal. istuc sceledre promitto fore.,

non potest dubitari quin ille corrigendi modus, quo uolgo usi sunt, omittendus ac uersus potius ita emendandus sit:

SCEL. *Uaé capiti tuo.* PAL. *Cápiti tuo istuc, Scéledre, promittó fore.*

Sed uenio iam ad alium locum, ubi in causa multo grauiore eodem modo id, quod ego proposueram, ab alio homine docto ita ignoratum est, ut sane mirandum sit potuisse quemquam tam neglegentem esse, ut quae ab aliis publici iuris facta essent, neque id semel aut uno loco, ea ita ignoraret quasi prorsus scripta non essent, quod ego tamen non ita dictum existumari uolo quasi putem Andream Spengelium, cuius studia Plautina minume contemnenda esse censeo, in libro, qui inscriptus est *T. Maccius Plautus*, editus autem Gottingae anno huius saeculi LXU., p. 37 sq. ea, quae ego et in *Annalibus philol. et paedag. nou.* uol. LXIIII. p. 201 sqq., quod uolumen editum est anno huius saeculi LII., et in Commentatione Academica *de emendationibus, quae per coniecturam fiunt*, p. 29 sqq., quae est edita Lipsiae anno huius saeculi LUII., scripseram, conpilauerit, sed credo hominem doctissumum eisdem rationibus quibus me ductum eodem peruenisse quo ego multo ante perueneram, et non peccauisse nisi in eo, quod quid alii ante se proposuissent ignorauisset. Pertinent autem haec, quae dico, ad eum locum, qui in Plauti *Milite glorioso* act. III. sc. 1. u. 133 (727) sqq. legebatur olim maxume corruptus, quod propter litterarum et uerborum similitudinem totus uersus, cuius uestigia satis perspicua et in libris Plautinis et apud Nonium habentur, qua de re recte iam Fr. Ritschelius iudicauerat, quamquam emendationem loci non perfecit, omissus erat, nunc autem iam a me ll. cc. collatis Nonii locis, qui p. 157, 5 et p. 415, 22.

leguntur, cum iis uerbis, quae in libris Plautinis seruata sunt, ita constitutus est:

Sícut merci prétium statuit quíst probus agoránomus:
Quaé probast merx, prétium ei statuit, pró uirtute ut uéneat,
Quae ínprobast, pro mércis uitio dóminum pretio paúperat.

Eandem scripturam quum nuper etiam A. Spengelius l. c. sua sponte inuenerit, non minuma commendatio eo emendationi nostrae accedere uidetur, sed quia singulorum uerborum rationem locis supra laudatis satis copiose reddidi, nihil hic conmemorandum esse existumo nisi hoc, iniuria A. Spengelium coniunctiuum *pauperet* pro indicativo *pauperat*, qui et in Nonii libris p. 157, 5. legitur et ad huius loci sententiam accommodatissumus est, posuisse.

Sed, ne magis uetera mea uindicare quam Plautinae fabulae emendationem iuuare uidear, iam duo locos Plauti de *Milite glorioso* huc adiungam, in quibus nihil fere aliud agendum est, nisi hoc, ut ea, quae in libris scripta habentur, intentis oculis aliquanto acrius contemplemur quam usque, adhuc factum est. Ac facilius quid uerum sit in altero horum locorum intellegi potest, qui legitur huius fabulae act. IIII. sc. 4. u. 18 (1154) sqq. in hunc modum scribendus:

PLEUS. *Dómi esse ad eam rem uídeo siluaï satis:*
Múlieres tres, quártus tute's, quíntus ego, sextús senex.
PAL. *Quód apud nos falláciarum séx situmst, certó scio,*
'Oppidum quoduís uidetur pósse expugnareí dolis:
Dáte modo operam.

Et u. 1154. de Camerarii et Bothii sententia recte iam constitutus est, de altero autem uersu conferendus est E. Iul. Brix in *Emendationibus Plautinis* II. p. 9., in tertio denique uersu quod scriptum in cod. B. est *sexitum*, in ceteris libris fere *sextum st*, apparet quod in cod. B. est, una littera *s* addita, quae est ab librariis post *x* litteram in eius modi locis etiam alias omissa, legendum esse: *sex situmst*, quod ne quis minus Plautinum esse dicat, conferendus est alius Plauti locus e *Curculione* act. II. sc. 3. u. 66 (345)., ubi habentur haec uerba: *immo apud tarpessitam situmst (argentum) illum, quem dixi Luconem.* Uersu quarto a Pylade accepi *expugnarei* pro *expugnare*, quod in libris est, quod ita recte intellegitur, si *dolis* aduerbialiter dictum esse existumamus, ut sit idem quod *per dolum* aut *dolose*, et minore interpunctione (:) post *dolis* posita addimus: *Date modo operam.*

Alter est Plauti locus, qui in eadem fabula act. III. sc. 1. u. 145 (740) sqq. nunc in exemplis ad Fr. Ritschelii et Alfr. Fleckeiseni normam descriptis ita legitur:

Níl me paenitét iam quanto súmptui fuerím tibi.
Nam hóspes nullus tám in amici hospítium deuortí potest,
Quín, ubi triduom íbi continuom fúerit, iam odiosús siet:
Uérum ubi dies decém continuos réstans odio fámiliaest,
Támetsi dominus nón inuitus pátitur, serui múrmurant.,

quibus in uerbis restituendis credo uiros doctissumos non tam hoc secutos esse, ut ueram Plauti manum restituerent, sed ut id, quod ad sententiam probabile esse uideretur, aliquo modo indicarent. Ac primum quidem quod u. 742. de Bothii coniectura *ibi*, quod in libris non est, interposuerunt, idoneam rationem habere non uidetur. Nam quom uerba praecedant haec: *nam hospes nullus tam in amici hospitium deuorti potest*, facile apparet, si dicatur deinceps: *quin, ubi triduom continuom fuerit* etc., id ad illud ipsum hospitium, in quo uersatus esse dicatur is, qui eo deuertisset, esse referendum. Itaque facile illo additamento carere possumus. Sed multo grauius est illud, quod ad u. 743. pertinet. Etenim id, quod a Fr. Ritschelio propositum conprobatumque a Fleckeiseno est: *restans odio familiaest*, neque sententiae loci satis accommodatum est — de familia enim u. demum 744. dicitur uerbis his: *serui murmurant*, ut sententia aliqua, quae latius pateat, exspectetur — et ab iis litteris, quae in libris manu scriptis sunt, longissume recedit. Nam quom in extrema parte uersus in codd. B C D F et editione principe haec uerba habeantur *continuos ite* (*iti* F) *astodorum* (*asto dorum* CD) *illas*, e cod. autem Ambrosiano fere haec enotata sint: *CONTINUOSS* .... *IORUMILIAS* uix est quod dicam ab his litteris uerba *restans odio familiaest* nimio opere abhorrere. Nam si quis uel mediocriter haec litterarum uestigia considerauerit, inueniet in codice archetypo nihil fere aliud scriptum fuisse nisi hoc: *CONTINUOSSITEASTODIORUMILIAS.*

Etenim quod in ceteris libris post *continuos* omissum est *s*, praestat cod. Ambrosianus et facile post *continuos* illa littera in reliquis libris oblitterari potuit. Quod autem in eisdem libris sequitur *astodorumillas*, in his uerbis *odorum* pro *odiorum* errore scriptum esse ostendit cod. Ambrosianus, in quo litteras *IOR* ante *UMILIAS* Ritschelius sibi uisus est legere. Quae quom ita sint; nemo negabit multo satius esse aliam coniecturam quaerere, qua et sententia loci adiuuetur et illa quae sunt in libris litterarum uestigia non neglegantur. Quid multa? Totus locus restituendus ita est:

Nîl me paenitét iam quanto súmptui fuerím tibi.
Nam hóspes nullus tám in amici hospítium deuortí potest,
Quín, ubi triduóm continuom fúerit, iam odiosús siet:
Uérum, ubi dies decém continuos sít, east odiorum Ílias:
Támetsi dominus nón inuitus pátitur, serui múrmurant.

Sic habemus sententiam magis uniuersam: Uerum ubi dies decem continuos sit (in hospitio), ea est odiorum Ilias, cui deinceps recte hic uersus adiungitur: *Tametsi dominus non inuitus patitur, serui murmurant.* Uerbis autem: *east odiorum Ilias*, recte illud, quod ante dicebatur: *iam odiosus siet*, augeri atque ad fastigium prouehi facile apparet. Nemo uero mirabitur Plautum a poëta Graeco, cuius fabulam Latine expressit, hanc formulam sumpsisse, qua usus etiam Demosthenes est *de falsa legatione* §. 148. *καὶ κακῶν Ἰλιὰς περιειστήκει Θηβαίους.* u. Photii Lexicon p. 106, 23. ed. Porson. Adde Poëtae tragici fragmentum in Arsenii *Uioleto* p. 303. *Ἰλιὰς κακῶν ἐπῄει.* et quae ad eum locum commentatus est Chr. Walz. et Plutarchum *coniug. praecept.* c. 21. tum Libanium tom. I. p. 102 B. *καὶ δὴ ὅστις βούλεται μέγα σημῆναι πάθος Ἰλιάδα προσαγορεύει κακῶν.* Conf. Porphyrium de abstin. p. 80. Moerin Atticistam p. 200. Phrynichum in Bekkeri Anecdotis P. I. p. 43, 31. Eustathium p. 444 22. p. 1175, 62. Erasmi Roterodami *Adagiorum* Chil. I. cent. III. n.26, qui hoc Eustathii loco utitur: *καὶ παροιμία μέντοι κακῶν Ἰλιάδα φησίν, αὔτη δὲ καλοῦ παντὸς Ἰλιάς.* Ac re uera etiam Latinis hanc formulam usitatam fuisse ostendit M. Tullii locus *Epistularum ad Atticum* lib. UIII. ep. 11. §. 3. *προθεσπίζω, igitur, noster Attice, non hariolans, ut illa, cui nemo credidit, sed coniectura prospiciens: Iamque mari magno .... non multo, inquam, secus possum uaticinari: tanta malorum inpendet Ἰλιάς*, similiterque, quamquam alio quodam modo, Ouidius *Epist. ex Ponto* VII. 7, 33 sqq. *Quae (mala) tibi si memori coner perscribere uersu, Ilias est fati longa futura mei*, ut de hac emendatione Plautina credam dubitaturum esse neminem.

Sed his disputatis nolo iam ad minutarum rerum enarrationem descendere, uerum illud potius persequi, quod mihi occasionem huius scriptionis fecit.

Semisaeculares honores suos hoc anno gratulatus est Ordo Philosophorum Uiris clarissumis atque optume meritis

CAROLO GEORGIO OPITZ
uerbi diuini ministro apud Ruppersdorpienses Herrnhutanos magna cum laude emerito,

FRANCISCO ANTONIO MAXIMILIANO FIEDLER
professori gymnasii Vesaliensis de bonis litteris et de re scholastica optume merito,

IOANNI ERNESTO LEBRECHT PETRINO
uerbi diuini apud Panitzschienses ministro optume merito,

CAROLO CHRISTIANO HENRICO WERTHER
uerbi diuini apud Heydenses Riesianos ministro optume merito,

FRIDERICO GUILIELMO ERNESTO SCHMIEDT
iudicii appellatorii Lipsiensis magna cum laude emerito,

FRIDERICO GODOFREDO GUILIELMO HERTEL
gymnasii Zwiccauiensis rectori magna cum laude emerito,

FRANCISCO AUGUSTO NESSLER
uerbi diuini apud Lenzenienses in Marchia Borussiae uetere ministro magna cum laude emerito,

HENRICO ADOLPHO EDUARDO WAGNER
uerbi diuini apud Hoefgenianos ministro maxuma cum laude emerito,

IOANNI CAROLO THEAENO HILBENZ
uerbi diuini apud Jahnsdorfienses ministro optume merito merentique,

CAROLO HENRICO FROTSCHER
rectori gymnasii Fribergensis insigni cum laude emerito.

Honoris causa philosophiae doctores ac liberalium artium magistri creati hoc anno sunt

Uiri litterarum laude clari atque insignes

IOANNES DUEMICHEN
antiquitatis et rerum Aegyptiacarum inuestigator sollertissumus,

FRIDERICUS ADOLPHUS ILLUSTRIS BARO DE SCHACK
dynastes Bruesewiciensis,

HIERONYMUS THEODORUS RICHTER
professor academiae metallicae Fribergensis et collegii superioris, quod officinis aerariis Fribergae praepositum est, adsessor idemque laboratorio metallico Fribergensi praefectus.

Enarrandae iam sunt uitae eorum, qui rogatu suo hoc anno explorata ac probata dignitate summos Ordinis nostri honores inpetrauerunt.

Sunt autem hi:

RUDOLFUS ALEXANDER REINHOLDUS KLEINPAUL
natus die VIIII mens. Martii a. h. s. LV. patre Ernesto Ludouico, qui res sacras et scholasticas pagi Grossgrabensis tum curabat, matre Augusta Carolotta e gente Doeringia, ex nouem filiis natu minumus, primis litterarum elementis a patre institutus, puer duodecin annorum in scholam prouincialem Misenensem receptus est, autumno autem a. h. s. LXIII. in uniuersitatem litterarum Lipsiensem migrauit et studium suum quum in philologiam atque oeconomiam publicam tum in philosophiam, quae proprie dicitur, contulit. Ante tempus parentibus suis orbatus maxume praedicat praeceptores Car. Frankium, professorem Misenensem, tum professores Lipsienses Ahrens, Curtium, Drobisch, Roscher, Weisse. Eius dissertatio inscripta est: '*Der Begriff der Erkenntniss in Plato's Theaetet.*'

GUILIELMUS OSCAR ERNESTUS WINDISCH
de uita sua haec ad nos scripsit: 'Ego, Guilelmus Ernestus Windisch Dresdae natus sum, ubi pater etiam nunc magistri munere fungitur, pridie Non. Sept. a. h. s. XLIIII. Fidei addictus sum euangelicae. Iam cum puer per sexennium scholam, quae Dresdae est ad aedem St. Crucis, frequentassem, maturitatis testimonio instructus uere a. h. s. LXIII. Lipsiam me contuli, ut philologiae studio me traderem. Ubi per quadriennium commoratus scholis interfui, quas habuerunt uu. ill. Brockhaus. Curtius, Ebert, Eckstein, Klotz, Ouerbeck, Ritschl, Roscher, Schoene, Seydel, Weisse, Westermann, Zarncke. Seminarii regii philologorum, quod

Lipsiae floret, sodalis ordinarius omnino per biennium fui, proxumos sex menses senioris officio functus. Illis autem uiris illustrissumis, qui et doctrina et beneuolentia insigni summa apud me collocauerunt beneficia, maxumas gratias ago habeoque.' Scripsit '*De hymnis Homericis maioribus.*'

PAULUS SCHEFFER-BOICHORST
de uita sua haec rettulit: 'Natus sum Elberfeldii Rhenanorum a. d. V. Kal. Iun. a. h. s. XLIIII., patre Bernardo, matre Paulina e gente Engels, quorum illum superstitem etiam nunc ueneror, hanc praematura morte mihi ereptam lugeo. Ab altera tanquam matre, a patris sorore, uidua Francisci Zumloh, Warendorpii inter Guestfalos educatus sum. Qua in urbe per VIIII annos gymnasium frequentaui, unde cum testimonio maturitatis dimissus autumno a. h. s. LXII. Oenipontem me contuli, praecipuam studiis philologicis operam daturus. Mox uero uir cl. Iulius Ficker tanto historiae amore me inbuit, ut omni studio in res medio, quod dicitur, aeuo gestas incumberem. Per duo semestria Oenipontе uersatus, Gottingam me contuli atque praecipue scholas exercitationesque uiri cl. Georgii Waitz frequentaui. Deinde autumno a. h. s. LXIIII. uniuersitatem Berolinensem adii, ut et ducibus uiris cl. Leopoldo a Ranke et Gustavo Droysen studia finirem et opusculum, nunc iam typis expressum, de ultuma Friderici I. imperatoris cum pontificibus controversia scriberem.'

UINCENTIUS ZAKRZEWSKI
natus a. h. s. XLIIII. d. XI. mens. Iul. in regni Poloniae uico, qui uocatur Dobrzykowo, sito prope oppidum Plock, patre Ualentino, matre Maria e gente Piaszczynski, primis litterarum elementis domi inbutus, gymnasium Plocense frequentauit. Inde maturitatis testimonio ornatus a. h. s. LX. uniuersitatem Caesaream Petropolitanam adiit, mox domum reuersus et aliquamdiu ibi uersatus in Germaniam profectus a. LXIII. Heidelbergam migrauit ac per IIII semestria studiis historiae et philologiae operam dedit, ac praeceptores habuit Zeller, Haeusser, Wattenbach, Baehr, Koechly, Starck, Oncken, postea per unum semestre Jenae audiuit Adolphum Schmidt, Hildebrand, Nipperdey, Caro, Simson, denique in uniuersitate Berolinensi praeceptores ei fuerunt A. Boeckh, Droysen, Massmann, Kiepert, Steinthal. Eius libellus inscriptus est: '*Wladislaws III. Königs von Polen Erhebung auf den ungarischen Thron.*'

AEMILIUS GUSTAUUS DILLING
natus Erfurti patre Alberto philos. doctore, matre Carolina e gente Minneria, mox Mulhusiae in Thuringia, quo pater ad munus magistri in gymnasio fungendum uocatus erat, primis litterarum elementis institutus est. Uere a. h. s. LVIII. in scholam Erfurtensem realem receptus est, cuius discipulus fuit usque ad annum h. s. LXIII. Uere eius anni in uniuersitatem Halensem cum Wittenbergensi consociatam transiit et per quinque semestria professoribus Knoblauch in physica, Giebel in ornithologia. zoologia, anatomia comparatiua, Schaller in psychologia, logica, aesthetica, Erdmann in historia philosophiae, Heintz in chemia operam dedit, et docentes audiuit in mathematicis Neumann, in chemia forensi et

chemica technologia Siewert, in geometria analytica Roch. Autumno a. h. s. LXV. Lipsiam uenit et in chemia Kolbe, in geographia physica Naumann, in philosophia Ahrens, in chemia agricolari Knop et in chemia physiologica Huppert praeceptreos habuit. Eius dissertatio inscribitur: '*Ueber Aethylpyrophosphorsäure* etc.'

IOANNES PAULUS ALBRECHT

'Lipsiensis, natus est', ut ipse refert, 'a. d. IIII. Id. Oct. a. h. s. XLV. patre Augusto Eduardo ex officio bibliopegorum, matre Friderica de gente Lazeria. Patriae in ludo publico per IIII annos eruditus a. h. s. LVII. Plauiam Uariscorum missus est in domum Theodori Flathe auunculi optimi ibique per VI annos regii gymnasii scholis interfuit, quod tum Palmio Dietschioque rectoribus florebat. Inde patriam reuersus philologicis potissumum studiis se dedit in eisque rebus cum Klotzium et Westermannum tum Georgium Curtium, cui per ter sex menses a manu fuit, egregie de se meritos praedicat, quibus moderantibus inter regii philologorum seminarii sodales erat. Simul uiros amplissumos, Zarncke germanicam, Brockhaus sanscritam linguas, Drobisch philosophicam, Treitschke historicam disciplinas audiebat docentes. Deinceps, cum Gottingam se contulisset, per annum Waitzio et Ernesto Curtio et Theodoro Merz philosopho magistris licebat gaudere. Denique, postquam Lipsiam rediit, Ritschelii Voigtiique scholis, quantum per corporis minus firmam ualetudinem licebat, interfuit, simul Ecksteinio directore paedagogici seminarii sodalis.' Haetenus ille. Edidit '*Quaestionum Alamannicarum specimen.*'

MAURICIUS RICHARDUS RÜHLMANN

natus Dresdae d. XIII. mens. Maii, a. h. s. XLVI., patre Iulio, musico regio cubiculari et praeceptore conseruatorii Dresdensis, matre Carolina e gente Karkuttia, primum institutione scholae priuatae Budichii, deinde Neopolitanae realis publicae usus, in polytechnicum Dresdense receptus in mathematicis praeceptores habuit Fort et Schlömilch, in chemia Fleck et Stein in eorumque laboratorio chemico operatus est. Maxumo studio atque amore de rebus physicis ab eo auditus est Lökhe. Praeterea audiuit de geodaesia Nagel, de mineralogia et geognosia Gleinitz, de scientia machinali Schneider docentes. Ceterum studio linguarum Graecae et Latinae operam dedit duce Diettrich-Fabricio. Mensibus Augusto et Septembri una cum sodali suo Theodoro Albrecht opus litterarium suscepit, quod inscripsit: '*Untersuchung über die Genauigkeit barometrischer Höhenmessungen.*' Autumno a. h. s. LXV. Lipsiam uenit et doctores habuit in physicis Hankel patrem, in mathematicis Scheibner, Drobisch, Hankel filium, in philosophia Drobisch et Fechner, in astronomia et meteorologia Bruhns, in astrophysicis Zöllner. Denique autumno a. h. s. XLVI. in schola reali Lipsiensi praeceptor geometriae descriptiuae factus est. Eius dissertatio inscripta est: '*Untersuchung über die Aenderung der Fortpflanzungsgeschwindigkeit des Lichtes im Wasser durch die Wärme.*'

OTTO MELTZER

haec de uita sua ad nos scripsit: 'Natus sum O. M. Lauensteinii in oppido Saxoniae regiae d. XII. mens. Mart. a. h. s. XLVI. patre Carolo Theophilo Pistotheo,

qui commissarii regii in abolendis rebus angarialibus munere fungebatur, quem ante hos VII annos morte mihi ereptum doleo, matre Christiana Eleonora e gente Schoederia. A quinto ad septimum aetatis annum primis litterarum elementis inbutus sum a Mietzschkio theologo, uerbi diuini nunc apud Stauchanos ministro; deinde, scholae simul publicae traditus, per triennium a u. cl. Schaarschmidtio, dioecesis Mariaebergensis nunc ephoro, per biennium a Fiedlero, qui quidem deinceps Lauensteinii sacris praeerant; deinde a fratre carissumo id temporis apud Mylauienses diacono. Autumno a. h. s. LX. gymnasium Fribergense adii, quod tum rectore Frotschero florebat, unde a. LXIIII. in ill. litterarum uniuersitatem Lipsiensem transii, ubi ad philologiae et historiae studia incumberem. Docentes audiui uu. ill. Wachsmuth, Westermann, Fechner, Weisse, Roscher, Wuttke, Klotz, Zarncke, Ouerbeck, Ahrens, Curtius, Masius, Ebert, Ritschl, Wenck, Fritzsche, Hermann, Ziller, Eckstein, Brandes, Seydel, Pueckert; exercitationibus regii seminarii philologici sodalis ordinarius per tria fere semestria, per sex seminarii historici, cui u. cl. Wuttke praesidet, interfui.' Scripsit '*De L. Coelio Antipatro belli Punici secundi scriptore.*'

ALOISIUS GOLDBACHER

natus Merani in terra Teriolensi d. XXVII. mens. Iunii a. h. s. XXXVII. gymnasium patriae ciuitatis frequentauit, inde in uniuersitate litteraria Oenipontana quattuor annos litteris operam dedit ibique candidatus muneris scholastici superioris examine superato factus est. Inde uniuersitatem litt. Uindobonensem a. h. s. LXI. adiit. Post hoc tempus ab aestate a. LXII. usque ad a. LXV. praeceptor extraordinarius fuit in gymnasio Olmuciensi, inde in gymnasio Troppauiensi praeceptor ordinarius creatus est. Scripsit '*De L. Apuleii Madaurensis floridorum origine et locis quibusdam corruptis.*'

ERNESTUS BRUNO STÜBEL

de uita suá haec ad nos scripsit: 'Ego E. B. St. patre Carolo Brunone causarum patrono et matre Eugenia e gente Traegeria natus Lipsiae d. XVIII. mens. Nouembr. a. h. s. XLII., primum in schola reali Lipsiensi eruditus sum. Mox tanto amore litterarum Latinarum et Graecarum captus sum, ut priuato studio ad disciplinas scholasticas me praepararem. Deinceps in primam gymnasii Nicolaitani classem sum receptus et testimonio maturitatis inpetrato uniuersitatem litt. Lipsiensem adii, ut medicinae operam nauarem. Post biennium uero studium mutans in Monacensi Musarum sede ad historiae cognitionem me contuli. Praeceptores mei ibi fuerunt Giesebrecht, Riehl, Cornelius, Maurer, Fraas, Reber, Kluckhahn, Bodenstedt. Ad continuanda studia in urbem patriam transiui ibique scholis Roscheri, Ahrensii, Voigtii eiusdemque historicae societati interfui'. Dissertatio, quam Ordini nostro probauit, inscripta est: '*Das Chronicon Sampetrinum Erfurtense mit Benutzung der Dresdner und Göttinger Handschrift kritisch untersucht.*'

NICEPHORUS KALOGERAS

de uita sua haec fere rettulit: 'Ego N. K. natione Graecus natus sum a. h. s. XXXV. d. XXIX. mens. Iun. in urbe et insula Spezia (*Τιπάρηνος* quae olim dicta esse

fertur), ubi pater Demetrius nunc uita defunctus publico munere fungebatur et mater cara iam ipsa quoque diem supremum obiit. Litterarum elementis inbutus in gymnasio Atheniensi uniuersitatem adii Athenis rectore Paparigopulo, iuris professore. His studiis absolutis munere praeceptoris Lycei Graeci, quod est in capite Aegypti Alexandria, per biennium functus sum. Deinde in Germaniam profectus per quattuor annos uniuersitatum Lipsiensis et Erlangensis scholas frequentaui theologicas et philosophicas. In Hungariae urbe nobilissima Buda annum moratus studiis inprimis theologicis priuatam operam dedi.' Scripsit '*Ἀλεξανδρίνας θεολογικὰς καὶ φιλοσοφικὰς μελέτας.*'

IOANNES MICHAEL GRUNER

natus d. XXIX. mens. Sept. a. h. s. XLI. Dresdae, primum Fribergae, tum Norimbergae in scholis ciuicis primis litterarum elementis inbutus est. Deinde Zwiccauiae et tribus annis post Wimariae gymnasiorum disciplina usus, tum annis h. s. LVI—LIX. scholae reali, quae est Dresdae ad aedem Annae, traditus, inde in polytechnicum regium receptus est. Postea Naumburgi et Eboraci noui in America, quae ratione didicerat, usu exercuit. Lipsiam a. h. s. LXIII. reuersus studia incepta priuatim continuauit et autumno a. h. s. LXIIII. in uniuersitatem litt. Lipsiensem transiit, ubi praeceptores eius fuerunt Erdmann, Hankel, Mettenius, Zöllner, Ouerbeck, Wuttke, Kolbe, Neumann, Hirzel, Weber, Ahrens. Dissertatio eius inscripta est: '*Beiträge zur Kenntniss der Binitrophenylsäure.*'

FELIX CAROLUS RAIMUNDUS WEBER

de uita sua haec fere ad nos rettulit: 'F. C. R. Weber Lipsiae a. d. XV. Kal. Febr. a. h. t. XLV. patre Ioanne Iacobo bibliopola et Marietta e gente Andriana natus, puer decem annorum in sextam classem gymnasii Nicolaitani, quod tunc Nobbio rectore florebat, receptus sum. Tres annos ibi moratus suadente patre Grimam me contuli, ut Wundero rectore litteris Graecis et Latinis operam darem. Moldana uero schola post triennium relicta iterum Nicolaitanam petii et examine rite facto a. h. s. LXIII. a Ruete, uiro excellentissimo, quem nuper mortuum omnes lugent, in numerum ciuium academicorum relatus sum. Ac primum quidem philologiae potissumum incubui, mox magis studium historiae uniuersalis et litterariae et rerum oeconomico-politicarum secutus scholis uu. cl. Zarncke, Ahrens, Ebert, Roscher, Voigt eiusdemque societati historicae interfui.' Eius dissertatio inscripta est: '*Des Franciscaners Johannes von Capistrano Mission unter den Hussiten* 1451—1453.'

ANTONIUS RUDOLPHUS SCHNEIDER

natus d. XII. mens. Aug. a. h. s. XLI. Thermis Carolinis, quae sunt in Bohemia, primum in schola primaria ciuica eruditus, tum gymnasio Commotouiensi traditus, mox in Neapolitanum Piaristarum collegium Pragense translatus, denique in gymnasio Egrensi doctus et maturitatis testimonio instructus est. Anno h. s. LIX. iuris prudentiae studium patre auctore suscepit et per quattuor semestria in eo perseuerauit. Hinc morbo inpeditus studia per annum omisit et, cum conualuisset, agricolationis atque chemiae studio se dicauit a. h. s. LXII. itaque Pragae praeceptores habuit Hochleder, Lerch, Lumbe, Balling, R. Hoffmann. Inde a mense

Augusto a. h. s. LXIIII. a comite inperii Austriaci Michaele de Althann operibus rusticis inspiciendis et regundis praefectus est, quibus muneribus etiam nunc occupatus est fungendis. Eius dissertatio inscripta est: '*Die Rübenblätter und die Abfälle von der Runkelrübenzucker-Fabrikation.*'

CAROLUS OTTO GRASS

natus Lipsiae d. V. mens. Mart. a. h. s. XLVII. patre Carolo Guilielmo, matre Eleonora e gente Schmidtia ibique eruditus est in scholis ciuica, Nicolaitana, reali. Uere a. h. s. LXIIII. in uniuersitatem litt. Lipsiensem transiit, ubi per septem semestria praeceptores illi fuerunt Erdmann, Hankel, Naumann, Drobisch, Ahrens, Zöllner, Ouerbeck, Weiske. Eius dissertatio inscribitur: '*Beiträge zur Analyse brennbarer Gase, insbesondere des Leuchtgases.*'

CAROLUS ERNESTUS AUGUSTUS AMTHOR

natus Gothae d. XX. mens. Octobr. a. h. s. XLV. patre delineandi magistro et fabro scrinario, matre Ludouicae gente Gutmannorum, Gothae primum in schola ciuica, mox in gymnasio Ernestino eruditus est, annos natus XVIII maturitatis testimonio ornatus Lipsiam uenit, ut studio mathematicarum et physicarum disciplinarum astronomiaeque se dicaret, ubi sex semestribus exactis candidatus superioris muneris scholastici factus est. Scripsit: '*Ueber die Bewegung eines Körpers auf einer krummen Fläche.*'

EDMUNDUS HUGO BIELING

natus Berolini d. XIX. mens. Apr. a. h. s. XLI. patre Ioanne Theophilo, matre Maria Elisabetha e gente Hellgrewe, primis litterarum elementis inbutus gymnasii Leucophaei Berolinensis, quod tum rectore Fr. Bellermano florebat, discipulis ascriptus est. Postquam gymnasium IX annos frequentauit, uere a. h. s. LIX. maturitatis testimonio instructus in uniuersitatem Berolinensem transiit et in philologia Boeckh, Haupt, Müllenhof, in philosophia Trendelenburg Althausiusque, in historia Droysen, in aesthetica, quae dicitur, Gosch et Soll, in theologica Twesten, Niedner, Hengstenberg praeceptores eius fuerunt, cum etiam exercitationibus seminarii philologorum moderantibus Boeckhio et Hauptio per aliquot semestria interesset, itemque in philosophia tractanda uersaretur Trendelenburgio duce, etiam Droyseni seminarii historici et Gerhardi archaeologici per semestre, per quattuor autem semestria seminarii regii, quod ad recentium linguarum litterarumque studium promouendum Berolini institutum Herrigi floret auspiciis, sodalis esset. Semestribus VIII in uniu. Berolinensi exactis Falkenbergam se contulit, ut in ludo, cui praeest u. cl. Schmidt, *Victoria-Institut* appellato, in pueris docendis exerceretur. Mense Maio a. h. s. LXVI. examen pro facultate docendi subiit et nunc in schola reali Dorotheopolitana Berolinensi praeceptoris ordinarii munere fungitur. Scripsit: '*De hiatus ui atque usu apud poëtas epicos, qui Augusti aetate floruerunt.*'

CONSTANTINUS THEODORUS ANGERMANN

de uita sua haec fere ad nos rettulit: 'Ego C. Th. A. Hoeckendorfensis natus sum a. h. s. XLIIII. a. d. III. Id. August. patre Augusto Theodoro, qui nunc in pago

Ottendorfensi rerum sacralium antistes est, matre Amalia e gente Richteria. Primis litterarum elementis a patre inbutus a. h. s. LVIII. adii gymnasium, quod Dresdae est ad aedem St. Crucis. Nactus uere h. s. LXIII. maturitatis testimonium inter ciues uniuersitatis litterarum Lipsiensis relatus sum ibique ad hoc tempus philologiae studiis me dedidi. Qua in re uiros illustrissumos Brockhausium, Curtium, Drobischium, Ecksteinium, Klotzium, Ouerbeckium, Pueckertum, Ritschelium, Roscherium, Seydelium, Voigtium, Wachsmuthium, Westermannum, Zarnckium audiui, et per bienniumsodalis fui seminarii regii philologorum, quod Lipsiae floret. Illis vero uiris illustrissumis, qui singulari ingenii doctrina et beneuolentia animi insigni summa apud me collocauerunt beneficia, maxumas gratias ago habeoque.' Haec scripserat auctor patre uiuo, quem hoc ipso anno mortuum iam luget. Dissertatio eius inscripta est: '*De patronymicorum Graecorum formatione.*'

ERNESTUS ROBERTUS ABENDROTH

natus d. IX. mens. Mart. a. h. s. XLII. Pirnae, patre Ernesto Roberto medicamentario et senatore ciuitatis patriae, matre Laura e gente Petzschia, primum in schola ciuica, deinde domestica disciplina eruditus, uere a. h. s. LV. in scholam realem Neopolitanam Dresdensem receptus est, ubi quom uersaretur, paternus amicus nomine Wankel, eius scholae praeceptor, amorem artis herbariae et zoologiae in puero excitauit. Autumno a. h. s. LVI. in patris taberna medicina disciplinam medicamentarii inchoauit et anno post in officina medicamentaria aulica Dresdensi perfecit, inde a. h. s. LX. examine superato Lipsiam se contulit et scholas Poeppigii, Mettenii, Naumanni, Hankelii frequentauit. Ab his studiis uoluntate patris reuocatus autumno a. LXI. Heidelbergae medicamentarii munus suscepit, uere a. LXII. Parisios proficisci ei concessum fuit. Inde mense Decembri eiusdem anni reuersus medicamentarii munere in patris officina functus est. Autumno a. LXIII. Berolinum se contulit praeceptoresque habuit Peters et Schaum, semestri ibi peracto in patris officinam rediit, deinde in officina medicamentaria, quae est Pancouii prope Berolinum, unum annum uersatus est et sic legitimo medicamentarii cursu peracto licuit ei iterum Lipsiam petere, ut publico medicamentarii examini se pararet. Hic tribus semestribus praeceptores ei fuerunt Mettenius, Kolbe, Naumann, Hankel pater, Radius, Hirzel, Frank, Drobisch, Ahrens, Carus, Hankel filius, in Kolbiique chemico laboratorio operatus est. D. IIII. mens. Febr. examen publicum pharmaceuticum superauit. Eius dissertatio inscripta est '*Ueber Morphologie und Verwandtschaftsverhältnisse der Arachniden.*'

HUGO THEODORUS HASPER

haec de uita sua ad nos rettulit: 'H. Th. Hasper natus sum a. d. XV. Kal. Decembres a. CIƆIƆCCCXLIIII. Zwiccauiae patre Ludouico Theodoro ab actis, matre Friderica e gente Krampiana. Fidem profiteor euangelicam. Aetatis anno undecimo receptus sum in gymnasium Zwiccauiense, quod cum per septem annos et dimidium frequentassem, maturitatis testimonio instructus uere anni CIƆIƆCCCLXIII uniuersitatem litterarum Lipsiensem petii. Nec uero licuit mihi sine intercapedine litterarum esse studioso: plus enim quam semel in morbos delapsus sum grauissimos. Scholis interfui summorum uirorum philologicis Ritschelii, Klotzii, Curtii, Westermanni, historicis Wenckii, Voigtii, philosophicis Drobischii, Ahrensii,

Weissii paedagogicis Eckşteinii, archaeologicis Ouerbeckii. Seminarii regii philologici per biennium fui sodalis ordinarius. Scripta dissertatione quae inscribitur '*de Poenuli Plautinae duplici exitu*' a summo philosophorum ordine Lipsiensi philosphiae doctor sum creatus. Omnibus praeceptoribus meis optume de me meritis facere non possum quin ex animo summas agam gratias. Praeter ceteros uero Friderico Ritschelio, uiro humanissumo, studiorum meorum fautori beniuolo, gratiam referre dignam infinita beneficiorum magnitudine multitudineque, quibus sibi me obligauit in perpetuum, summis mihi semper erit in uotis.'

HENRICUS AUGUSTUS OTTO KOHL

natus Isenaci d. XIII. mens. Sept. a. h. s. XLIIII. patre Ioanne Henrico sacrorum antistite, matre Minna e gente Reinia, in patriae urbis gymnasium receptus maxime praedicat disciplinam H. Funkhaenelii, W. Reinii, W. Weissenbornii. Superato maturitatis examine Halas se contulit ibique audiuit Th. Bergk, G. Bernhardy, R. Haym seminarioque philologico et societatis philosophicae Haymianae ascriptus fuit. Tum Ienam profectus praeceptores habuit C. Fischer, R. Gaedechens, C. Göttling, T. Klopffleisch, C. Nipperdey, A. Schleicher, A. Schmitt, V. Stoy seminariique philologici socius fuit et munere praeceptoris in schola Stoyiana functus est. Uere a. h. s. LXV. Bonnam se contulit, ut studiis suis finem inponeret, sed sex mensibus exactis cum Fr. Ritschelio, cuius disciplinam atque auctoritatem maxumo opere praedicat, Lipsiam profectus est. Hic praeter Fr. Ritschelium, cuius societatis philologicae sodalis fuit, audiuit docentes A. Brockhaus, G. Curtium, F. Ouerbeck, F. Zarncke. Superiorem annum Lipsiae, Uichtritiae, Halis consumpsit partim philosophia tractanda, partim superando Borussico pro facultate docendi examine. Dissertatio eius inscripta est: '*Kant's Ansicht von der Freiheit des menschlichen Willens.*'

CAROLUS FRIDERICUS EUGENIUS FROHWEIN

natus d. XXV. mens. Iul. a. h. s. XLI. in uico Uimariensi Pfuhlsborna, patre Carolo uerbi diuini tunc ministro, matre Wilhelmina e gente Vollandia. Primum a patre ipso eruditus XIII annos natus Uimariam in gymnasium Wilhelmo-Ernestinum deductus est, cuius gymnasii rectores et professores H. Sauppe, G. Heiland, E. W. Weber, E. Lieberkühn, C. Putsche, G. Lotholz, alios pia memoria persequitur, maxuma G. Heilandi praedicans erga se officia. Anno h. s. LX. Ienam se contulit ibique ei praeceptores fuerunt Göttling, Nipperdey, R. Schmidt, C. Fischer, Fortlage et altero quidem semestri etiam seminario philologico sodalis ordinarius ascriptus fuit et sodalis societatis Graecae R. Schmidt. Tribus annis Ienae exactis quo minus Berolinum ad absoluenda studia se conferret, inpeditus est morte patris. Itaque munus praeceptoris domestici ab Erico lib. bar. de Stein sibi oblatum accepit et Geram, ubi tunc uir generosus degebat, se contulit, in cuius urbis gymnasio mense Octobr. a. h. s. LXIIII. praeceptor ordinarius factus est. Dissertatio eius est inscripta: '*De aduerbiis Graecis.*'

SIGISMUNDUS UEINBERG

de uita sua haec fere rettulit: 'Natus sum d. XXXI. mens Ian. a. h. s. XLIII. Bucaresti patre Ioanne feneratore, matre Ludouica e gente Loebelia, quibus ad-

huc superstitibus uehementer laetor. Fidem profiteor ueterem. Primis litterarum elementis in gymnasio, quod Bucaresti est, St. Saua per septem annos inbutus litterarum studia Parisiis continuaui. Inde uniuersitatem Berolinensem petii et in ciuium academicorum numerum Trendelenburgio rectore relatus sum. D. XIIII. mens. Aug. a. h. s. LXVI. Heydemanno decano doctoris utriusque iuris dignitatem et nomen adeptus sum dissertatione quae inscribitur: '*De condicione, quae inter Portqm et Rumaeniam usque ad hoc tempus intercesserit.*' Ea est ab iis, qui Rumaeniae rebus praesunt, ita conprobata, ut publice ederetur. Deinde a. h. s. LVI. in eadem uniuersitate Hauptio decano ad philosophiae studium me contuli et Duehringi, quas habuit de nationali oeconomia, scholis interfui. Inde Lipsiam profectus in eisdem studiis Roschero auctore per duo semestria uersatus sum, cui uiro gratias ago quam maxumas atque in omne tempus habebo. Huius dissertatio inscripta est: '*Die Arbeitsstrafen.*'

AEMILIUS SCHUERER

de uita sua haec scripsit: 'Natus sum Aem. Sch. Augustae Uindelicorum d. II. mens. Maii a. h. s. XLIIII. patre Iulio Sch. mercatore, matre Albertina e gente Zorniana. Annum agens undecimum in gymnasium receptus sum, ubi per octo annos litterarum ingenuarum studiis operam dedi. Inde cum a. h. s. LXII. in academiam Erlangensem transissem, theologicis studiis incubui. Mense Octobri a. h. s. LXIIII. Berolinum profectus magistris usus sum et Dornero theologo et Trendelenburgio philosopho. Ibi sex menses conmoratus Heidelbergam me contuli ibique cum Holtzmanni tum Rothii theologorum scholis interfui. Deinde mense Octobri a. h. s. LXV. Erlangam redii et studiis peractis postero anno examine theologico perfunctus sum. Ab illo tempore litterarum studiis per unius anni spatium continuatis in hanc urbem demigraui, ut summos in philosophia adipiscerer honores'. Libellus, quo doctrinam suam Ordini nostro probauit, inscriptus est: '*Schleiermachers Religionsbegriff und die philosophischen Voraussetzungen desselben.*'

LUDOUICUS FRIDERICUS MAURICIUS THEILKUHL

natus d. XI. mens. Octobr. a. h. s. XLII. Seeseni in iugo Hercynio cum patre aliquot annis post Brunsuigam uenit ibique primum in schola orphanotrophei, tum in progymnasio, deinde in gymnasio reali eruditus et institutus est. Autumno anni h. s. LVIII. Wattenbergio medicamentario Rotenburgi ad Wummam in disciplinam traditus est in eaque disciplina biennium mansit, inde duos disciplinae annos Gandershemii in officina medicamentarii Th. Bosse peregit. Inde d. V. mens. Nouembr. examen prius, quod in ducatu Brunsuigensi publice institutum est, superauit et unum etiam annum in eadem officina adiutor fuit. Postea per duo semestria collegium Carolinum, quod est Brunsuigae, frequentauit, sed postea unum semestre coactus est operam dare in officina medicamentaria Herzogii, quae est Brunsuigae, mox rursus polytechnicum Carolinum adiit partim arti pharmaceuticae partim chemiae operam nauans. Praeceptores ei potissumum erant Otto, Knapp, Wiedemann, Blasius. Uere a. h. s. LXVI. suasu magistrorum suorum se Lipsiam contulit, ut chemiae studium profiteretur. Hic praeceptores eius fuerunt Kolbe, Hankel, Naumann, Zöllner, Merkel, in exercitationibus microscopicis Schweiger-

Seidel, in chemico laboratorio Kolbe. Sub exitum semestris aestiui a. h. s. LXVII. a Knappio professore Brunsuigensi inuitatus est, ut munus adiutoris in laboratorio ipsius chemico, quod est in polytechnico Carolino, susciperet, quo munere iam fungitur. Dissertatio eius inscribitur: '*Ueber Methintrisulphonsäure.*'

FEODORUS MARTINUS SCHULZ

natus Crosnae ad Uiadrum d. XXXI. mens. Octobr. a. h. s. XXXVI. in schola publica elementis litterarum institutus a. h. s. LVI. in tertiam classem gymnasii, quod est Francofurti ad Viadrum, receptus est. Autumno a. h. s. LV. Halas se contulit, ibique per septem semestria theologiae operam dedit. Primum examen theologicum autumno a. h. s. LIX. superauit, inde praeceptor domesticus liberorum lib. bar. de Nolcken, qui habitat Luniae apud Dorpatum, per septem semestria fuit. Tum Berolini alterum examen theologicum subiit et postea praeceptor fuit domi comitis de Zech-Buckersroda in arce Goseckia prope Naumburgum. Mense Maio a. LXVII. Halas se contulit, ut examen pro facultate docendi absolueret, quo absoluto iam educator praeceptorque principis heredis Rutheniae iun. stirpis creatus est. Dissertatio eius inscribitur: '*Illustratur canticum ex Euripidis Bacchis.*'

LIPSIAE

TYPIS A. EDELMANNI TYPOGR. ACAD.